nerit hanc esse agonis et certaminum legem; Non ut numquam quis cadat.
sed ut numquam cadat; quia non ille qui saepe cecidit uictus dicitur. sed ille qui ad
ultimum cessit; Namque desperationis cogitationibus uictus est. quomodo uel uires
reparare certandi uel resistere ac pugnare potest; Cum fugiat nec omnino redeat
at ad certamen. Et nolo putetis quia de his mihi sermo sit tantum qui in paucis et leui
bus peccauerunt; De illo loquor qui omnibus subcubuit malis qui in immanitatis scele
rum uiam sibi exclusit regni caelorum et non de infidelibus sed de fidelibus fuerit,
et ex his qui prius placuerunt deo post haec autem deciderint. uel in adulteria
uel in omnes inpudicitias. quae ut apostolus ait. turpe est etiam dicere, Nec hunc
ego dico salutem desperare debere etiam si ad ultimam huiusmodi mali obsessus
peruenerit senectutem. sed quae sit ratio dicti huius ausculta. Si ira dei passibilis esset
et affectus secte diceremur non posse iam restingui flammam quae tot actantis pec
catorum succensa sit malis; Cum uero inpassibilem esse naturam diuinam de
finitio ueritatis ostendit. Intellegere debemus. quia etiam si punit deus etiam
si poenas infert non hoc cum ira passibili sed cum ineffabili clementia facit. medentes
non punientis affectu et ideo ualde libenter recipit penitentem, paenitentiae
enim medicamentum si perueniens cur et animam perfacit eam admedicamenta
iracundiae peruenire pro his quae commisit in deum; Non enim ut diximus propter se
met ipsum uindicat deus in peccatorem, quasi ulciscens iniuriam suam; Nihil enim
tale recipit in se natura diuina. sed ad utilitatem nostram facit omnia. pro utili
tate nostra et correptiones. inducit et poenas Non ut se uindicet. sed ut nos emendet
quod si ipse sistit quis in duritia sicut ille qui auertit a luce oculos suos damnum qui
dem luci intulit nullum sed semet ipsum uero tenebris condempnauit, Ita et qui peccator
in paenitentis contemnere se putat iustitiam dei semet ipsum alienum efficit a sa
lute; quod si medicus ab his qui freneticam patiuntur uel cerebro moti sunt patitur
iniurias et neque dolet pro hoc neque irascitur sed facit omnia quae medendi ratio de
poscit. quibus cruciari quidem uidetur ille qui patitur, porro autem cruciatur
ipse non ex iniuriarum uindicta sed cura languentis. denique si parum quid aeger
proficere ceperit ad salutem; statim uideas gaudere medicum. laetusque etiam
cruris exequi reliquam curam; Nec usquam prorsus iniuriarum memoriam
sed salutis in omnibus gerere prospectum; quanto magis deus etiam cum si in ultimam
deciderimus insaniam. Non ultionis affectu pro his quae commisimus mouetur
in nos. sed cupiens uisceribus nostris inueteratos uitiorum curare languores.
Pro hoc et dicit omnia et agit cupidus sanitatis nostrae; Non poenae, quod quamuis
ratio ipsa pietatis sufficienter ostendat tamen et ubi de huiusmodi sententia du